

**DE**  
**BAPTISMO**

ADULTORUM.

**TITULUS DUODECIMUS.**

SUMMARIUM.

- 1 Adultorum Baptismus non ita frequens ac ille Infantium.
- 2 Ministrandus est majori solemnitate.
- 3 Adulti qui baptizantur, proveniunt e gremio Infidelium.
- 4 Adultus dicitur qui crevit ad justam staturam.
- 5 Juvenes dicuntur Adulti.
- 6 Adulti in Baptismo dicuntur ad distinctionem Infantium.
- 7 Caeremoniae Baptismi Adultorum diversae a caeremoniis Bapt. Infantium.
- 8 Adulta aetas dicitur septennio completo.
- 9 In masculis proprie est post decimum quartum annum.
- 10 In Foeminis post duodecimum.
- 11 Haebrei majores septennio possunt baptizari invitis parentibus.
- 12 Infantia durat per totum septennium.
- 13 Adulti de jure Divino tenentur suscipere baptismum.
- 14 Baptismus est exordium Christianae Religionis.
- 15 Apostoli prius instruebant baptizandos, et deinde baptizabant.
- 16 Eunuchus Reginae Candacis instructus a Philippo.
- 17 Domus Catechumenorum est domus probationis.
- 18 Episcopus potest prorogare tempus probationis Catechumenorum.
- 19 Catechismus debet praecedere Baptismum.
- 20 Domus Catechumenorum necessaria in Civitatibus ubi sint Habraei.
- 21 Catechumeni Adulti non semper sinceri.
- 22 Catechumenae Foeminae saepius explorari debent.
- 23 Foemininum genus inconstantis naturae.
- 24 Baptizare non licet quemquam per vim.
- 25 Adulti baptizandi debent habere liberam voluntatem.
- 26 Ecclesia non recipit Adultos nisi sponte comparentes.
- 27 Hebraeorum filii non possunt invitis parentibus baptizari. Valide tamen baptizantur.
- 28 Filii Apostatarum possunt invitis parentibus baptizari.
- 29 Baptizati numquam possunt se subtrahere a jurisdictione Ecclesiae.
- 30 Baptizatus per vim an valide baptizetur?
- 31 Vis distinguitur in absolutam, praecisam, et conditionalem.
- 32 Baptizandus debet esse sciens se baptizari.

- 33 Intentio suscipiendi Baptismum requiritur in Adulto.
- 34 Adulti ante Baptismum debent esse plene instructi.
- 35 Adulti in mortis periculo baptizari possunt sine instructione.
- 36 Episcopi reservatur Baptismus adultorum.
- 37 Sacerdotes id facere possunt de licentia Episcopi.
- 38 Catechumeni denunciandi sunt Episcopo.
- 39 Adultorum Baptismus in Sabbato Paschae, vel Pentecostes ministrandus.
- 40 Rubricae debet concordare nigrum.
- 41 Magistris Caeremoniarum incumbit inquirere an adsint Catechumeni baptizandi prope Pascha, et Pentecost.
- 42 Catechumeni nolentes expectare tale tempus possunt baptizari praeventive.
- 43 Amor non paritur moras pro baptizandis Catechumenis.
- 44 Ecclesia est locus pro baptizandis Adultis.
- 45 Adultus publice baptizari debet.
- 46 Adultus tenetur respondere per se, non per Patrinum.
- 47 Catechumenus quid significet?
- 48 Adultus si non respondet, praesumitur fecte se velle baptizari.
- 49 Nisi mutus fuerit, aut surdus.
- 50 Vel Catechumenus linguae ignotae.
- 51 Responsio est indicium voluntatis, et animi.
- 52 Catechumenus linguae ignotae omni labore debet instrui etiam nutu, et haberi recursus ad S. C. de Propaganda.
- 53 Catechumeni antiquitus post Baptismum comunicabantur.
- 54 Catechumeni, si sint sani, debent esse jejuni.
- 55 Catechumeni baptizandi sunt de mane.
- 56 In hoc casu nimis indulgetur commoditati Patrinorum.
- 57 Catechumeni usque ad nonam jejunabant in die Baptismi.
- 58 Epulae fiebant post Baptismum cum susceptoribus.
- 59 Signa laetitiae decent post Baptismum.
- 60 Adultus debet poenitere peccatorum ante susceptionem Baptismi.
- 61 Si non poeniteat, obtinet Sacramentum, sed non gratiam.
- 62 Peccata non possunt esse materia poenitentiae ante baptismum.
- 63 Baptizandi antiquitus variis poenitentis onerabantur.
- 64 Poenitentia antecedens est detestatio peccatorum.
- 65 Adulti amentes, et furiosi quando baptizandi?
- 66 Amentes si habeant lucida intervalla an baptizandi?
- 67 Amentes in periculo vitae possunt baptizari.
- 68 Adulti lethargo, et phrenesi laborantes an baptizandi?
- 69 Cavenda a Parochis in exploratione Adultorum.
- 70 Adulti quandoque ad quaestum baptizantur.
- 71 Adultus joci, vel lucri causa accedens ad baptismum non baptizatur.
- 72 Casus circa hoc a Bollandi allatus.
- 73 Qui de Baptismo sibi collato nullum testimonium habent, possunt baptizari sub conditione.
- 74 Haeretici qui in forma, vel materia baptismi defecerunt, sunt baptizandi.
- 75 Haeretici multi contra Baptismum errantes.
- 76 Haeretici qui rite baptizati sunt, non debent rebaptizari, sed supplendae sunt caeremoniae.
- 77 Haeretici ante Baptismum poenitere debent de peccatis.
- 78 Episcopus potest dispensare circa caeremonias supplendas.
- 79 In Baptismo Adultorum omnia servanda sunt quae in Bapt. Infantium.

Edpeditis, quae de ordine baptizandi Parvulos Rituali praescribit, sequuntur quae praesignata sunt circa Baptismum Adultorum. Iste Baptismus non ita frequenter occurrit, quemadmodum ille Parvulorum, sed quando occurrit ministrandus, sit plerumque majore solemnitate quam alter. Ista raritas ex eo non provenit, quod imminutus sit numerus fidelium, sed

facta est, et spe decepti, Catechistae oleum, et operam perdere inventi sunt.

24 25 26 Per vim insuper, non licet aliquem baptizare, qui baptizari nolit, quia baptizandus debet habere liberam, et plenam voluntatem, et necesse est, ut sciat quid sit Baptismus: immo in actu Baptismi debet scire, se tunc baptizari. De facto Ecclesia non recipit Adultos ad Baptismum sua sponte venientes, antequam eorum voluntatem perpendat, et probet, *cap. Judaei, cap. plerique, de consecrat. dist. 4. Ricciull. de jure person. l. 2. c. 32.* non semper enim eorum petitio est fidelis.

27 Hebraeorum filii non possunt invitis parentibus baptizari, D. Th. 2. 2. *art. ult. q. 10.* et alii plurimi apud Ricciull. *d. l. 2. c. 32.* Si tamen de facto baptizentur, valet Baptismus, et apud Christianos alendi sunt. Immo si hujusmodi filii (ut supra dixi) non sunt Infantes, sed majores septennio, et consensum praestent, tunc possunt, etiam invitis parentibus baptizari per allegat. a Sperell. *dec. 1. num. 30. 31. 32.*

28 29 De filiis Apostatarum, idest a fide recedentium, an possint, invitis Parentibus baptizari, dicendum quod sic, *ut per gloss. in c. si baptizat. in verbo qui, de consecr. dist. 4. allegat. a Marquard. de Judaeis, p. 3. cap. 2. num. 8.* Et ratio esse potest, quia licet Patres apostataverint, tamen non possunt dici Infideles origine, cum vere baptizati sint: eorum infidelitas est successiva, non radicalis; et filius a radice provenit, non a voluntate secundaria: Et baptizati nunquam possunt se subtrahere a jurisdictione Ecclesiae propter characterem indebiliter illis in Anima impressum, Fulien. *de Sacr. c. II. Res. 5.*

30 31 Si vero aliquis per vim baptizaretur: quaerit Ricciull. *allegat. supra. cap. 35.* an suscipiat characterem, et dicit, quod si haec vis sit absoluta, et praecisa, non recipit neque gratiam, neque characterem: si vero vis esset conditionalis, utique reciperet; et subdit, quod baptizatus per vim absolutam, et praecisam, si non reclamet, cogitur ad observantiam. Est autem vis praecisa, et absoluta quando quis nunquam consensit, sed penitus contradixit, veluti si ligatis manibus, et pedibus invitus baptizetur.

32 33 Ulterius Baptizandus debet esse sciens; hoc est, advertere debet se baptizari; unde si quis Infidelis dormiret, vel per viam transiret, et supra illum effunderetur Aqua cum pronuntiatione formae: *Ego te baptizo. etc.* non esset baptizatus, quia nesciret se baptizari, ex parte enim baptizati. Adulti requiritur intentio suscipiendi Baptismum: quia nemo utens libero arbitrio, nisi voluntarie ad statum gratiae, et Filiorum Dei transfertur, Coninck *de Sacr. q. 68, art. 7. n. 50.*

44 Praeterea, ad hoc ut Sacramentum plenum effectum

suum in Adulto baptizato sortiatur, debet iste esse plene instructus de essentia, et quidditate Baptismi, necnon de lege Christianorum, ad hoc ut advertat obligationes, et onera quibus se submittit, ne postea eum poeniteat, dum onera non sibi prius explicata advertit: V. grat. Jejunium, Confessionem auricularem, Matrimonium cum unica Uxore, et alia, quae in legibus Hebraeorum, seu Paganorum non servantur. Quare optimi Instructoris erit, post explicatam naturam, et effectus Baptismi, in lege, et in mandatis tum decalogi, tum Ecclesiae, bene instruere Catechumenum, ut omnia illi innotescant antequam suscipiat Baptismum, ne postea Christianus factus nova adveniat, quae sibi intolerabilia videantur, ideoque se poeniteat de suscepto Baptismo, vel illius nauseam habeat.

§. II. At si vero quis, dum instruitur, in mortis periculum incidat, baptizarique voluerit, habita ratione periculi, vel necessitatis, baptizetur.

35 Necessitas in hoc loco equiparatur periculo: sed in casu necessitatis Baptismus ministrari potest sine solemnitatibus, ergo etiam in periculo. Si vero aeger convaluerit, supplenda sunt omnia super baptizatun, nempe Catechesis, et aliae caeremoniae a Rituali praescriptae.

§. III. Adultorum Baptismus, ubi commode fieri potest, ad Episcopum deseratur, ut si illi placuerit, ob eo solemnius conferatur, alioquin Parochus ipse baptizet, stata caeremonia.

36 37 38 39 Cum sit munus Episcopi baptizare, ut alibi diximus, et antiquitus ab Episcopis tantum Catechumeni sacro fonte abluerentur, Mart. *Lex. Etym. verbo Annus Ritualis;* Unde Patres regeneratores fuerunt appellati Episcopi a S. Prospero Aquit. *lib. 3. de Vita contempl.* adeo ut S. Carolus *Act. 4.* inhibuerit, ut omnes Ecclesiastici, cujuscumque dignitatis essent, se abstinerent ab hujusmodi solemnitate; statutum fuit in hoc Titulo ut solemnitas Baptismus Episcopo deferretur. Verum cum quandoque infra annum istae solemnitates pluries occurrant, factum est ut Baptismus Adultorum distinguatur a caeteris ob ministerium Episcopale. Regula generalis est, *cap. cunctis 16. q. 1.* quod non nisi de licentia Episcopi possunt

Presbiteri baptizare, quae licentia cum tacite, et permissive concedatur tunc, quando quis eligitur Parochus, tacite etiam Episcopus reservat sibi solemnem Baptismum Adulorum. Pro cuius regulae, et ritus observatione dicendum est, debere Parochos, vel Ministros, et Rectores Domus Catechumenorum significare Episcopo loci, in promptu esse aliquem Catechumenum baptizandum, ut si ei placuerit, illum ad Sabbatum Sanctum, vel Pentecostes servare, custodiatur usque ad definitum tempus: si secus, facultatem impertiatur Parocho, illum cum debitis solemnitatibus baptizandi.

§. IV. Decet autem hujusmodi Baptismum, ex Apostolico instituto, in Sabbato Sancto Paschatis, vel Pentecostes solemniter celebrari.

40 Cum Benedictio Fontis Baptismalis, habeatur in Ecclesia duobus statutis diebus, nempe in Sabbato Sancto, et in Sabbato Pentecostes, atque in illa solemni benedictione, necnon in Canone Missarum illorum dierum, multa dicantur de noviter renatis fidelibus ad fontem gratiae, congruum videtur, ut si fieri potest, istae caeremoniae. Orationes, et preces inutiliter non fundantur: decet enim, ut aliquo modo verificentur, et concordent cum re significata, Valafr. *de reb. Eccl. c. 26.* nam Rubricae debet concordare nigrum, ex Monacell. *Prax. for. Eccl. suppl. ad T. 2. tit. 16. for. 1. n. 280.* de Benedictio-  
ne Fontis, et de solemnitate horum dierum multa habentur in Gavant. *P. 4. t. 10.* quae hic non afferam; et si qua erunt noviter dicenda, tunc dicam quando de benedictione fontis infra annum verba habenda erunt.

§. V. Quare, si circa haec tempora Catechumeni sint baptizandi, in istos dies, si nihil impediatur, Baptismum differri convenit:

41 Circa verba superenunciatae Rubricae valent, quae in explicatione antecedentis paragraphi nuper diximus. Curae erit diligentis Parochi, vel Instructoris Catechumenorum ad tempus in Rituali praescriptum, Baptismum differre: Immo Magistris caeremoniarum incumbit onus investigandi an ad sint Catechumeni, ut ita quaecumque necessaria sunt ad so-

lemnem Baptismum, in tempore parata sint, si ab Episcopo sit functio haec habenda.

§. VI. Verum si circa, vel post tempus Pentecostes aliqui conversi fuerint, qui aegre ferant suum Baptismum in longum tempus differri, et ad illud festinent, instructive, ac rite parati esse noscantur, citius baptizari possunt.

42 Advertant instructores Catechumenorum, ne nimium festinent seu accelerent instructiones cum Catechumenis, ad hoc ut sint parati in duobus Sabbatis statutis. Praeceptum instructio confundit potius mentes, quam instruat: Si res cadat suapte natura, fiat: si vero secus, differatur ad tempus opportunius, nec animas suas onerare velint ministri hac gravi culpa, nempe exhibendi Baptismo Catechumenum non sufficienter instructum.

43 Si vere Catechumenus fidei amore flagret, omnes moras rumpere conabitur, et cupiet citius quam fieri poterit, solvere catenas Diaboli, et intrare Ecclesiam Dei. Audiendi sunt igitur Catechumeni si exardescant, et an aegre ferant dilationem tantae solemnitatis. In hoc casu, si satis instructi sint, baptizari possunt: verba enim textus satis clare loquuntur, et dispensant ab obligatione dierum praescriptorum, Catech. Rom. *de Sac. Bapt. Ricciull. lib. 3. c. 2.* nam Princeps Apostolorum, nulla interposita mora Cornelium baptizavit, statim ac fidem amplecti professus fuit, et mysteria fidei plene percepit, *Act. 10.*

§. VII. Catechumenus instructus baptizetur in Ecclesia, seu in Baptisterio. Patrinus ei assistat, et ipse Catechumenus ad Sacerdotis interrogationes respondeat; nisi mutus fuerit, aut omnino surdus, vel ignotae linguae: quo casu vel per Patrimum si illum intelligat, aut alium interpretem, nutu consensum explicet suum.

44 Eodem modo, quo in Baptismo Infantium, locus talis ministerii statutus est, et praescriptus, ita et in Baptismo Adulorum optimum censuit Ecclesia. Loquitur textus hic de Baptismo, et dicit locum talis Sacramenti pro Adultis, esse

Ecclesiam, seu Baptisterium; non loquitur de Catechesi: Haec ex praecepto Rubricae, ut dicemus, sit ad fores Ecclesiae, et extra limen, qua peracta, completur baptismalis actio cum ablutione in Ecclesia vel Baptisterio. Insuper ex hac praescriptione inferre debemus, non licere baptizare Adultum privatim, et sine solemnitatibus, (nisi in periculo mortis, et in casu necessitatis) neque in Domibus, neque in Aulis, neque in Capellis, aut Oratoriis privatis, sed in publica Ecclesia, seu publico Baptisterio. Neque Catechumeni in hoc casu dispensantur ob sanguinis claritatem, aut gradus, seu dignitatis eminentiam, ut in Baptismo Parvulorum; quia, quamvis dari possit, quod et Princeps, et Magnates Infideles, et pagani ad veram fidem convertantur, tamen de institutione Ecclesiae est, ut Adultorum Baptismus solemniter ministretur; neque hujusmodi Catechumenus erubescere debet se tantae solemnitatis causam praestare; Evangelium enim non est erubescendum. Quod totum dictum sit, quando Baptismus Adultorum habeatur in Terris Fidelium: si enim vel in civitatibus Paganorum aut Haereticorum fieret conversio alicujus ad Catholicam Fidem, tunc si privati ministretur Baptismus, optimum concilium erit.

46 Modo de Patrini dicendum. Quamvis baptizandus cum sit Adultus, et de se valeat, teneatur respondere per se, attamen necesse est ut Patrinus illi assistat, quia Patrinus non tantum ad respondendum pro eo, sed ad fidei juvendum assumptus est, atque ad illum edocendum opportune ubi opus fuerit, *cap. vos ante de consecr. dis. 4.* et in hoc casu non refert, quod Patrinus sit minor baptizato, quia nullo jure statuitur, aut requiritur, ut sit major, *Ledesma in Summ. p. 1. de Sac. Matrim. cap. 17. conc. 7. dub. 2, Barbos. de Off. et pot. Par. c. 18. n. 29.*

47 Iste Adultus baptizandus vocatur Catechumenus: haec vox graeca est, et significat qui baptismum postulat, quia quasi Auditor est Verbi Dei: Ita Macri *Hierolea*, A. SS. PP. dicitur cui Mysteria Fidei, vivae vocis ministerio credebantur, *Casal: p. 2. cap. 5. de Bap.* et etiam Infantes inter Catechumenos referebantur, ut habemus ex Dionys. Areop. *de Eccl. Hierar. c. ult.*

48 49 50 Iste Adultus igitur, seu iste Catechumenus, cum baptizatur, ipsemet respondere debet, et si non respondeat, praesumitur fecte ad baptismum accedere, *ut in cap. tuae fraternitati, de spons. et Matrim. Fagnan. t. 4. cap. 25. num. 33.* de facto, Responsio est indicium voluntatis, et animi: Si enim lingua tacet, signum est quod animus resistit.

51 Tunc solum a respondendo dispensatur, si fuerit mutus, aut omnino surdus. In hoc casu magna diligentia adhibenda est ab Instructoribus, quia si mutus est ob surditatem, difficili-

ter instrui potest, si vero ob infirmitatem solummodo, et impotentiam linguae, tunc cum per aures possit percipere voces facile per nutus respondebit. In hoc eventu, cum sufficienter instructus videatur, supplet Patrinus ad ea quae baptizandus praestare non valet.

52 Adest etiam alia excusatio, et est *ignota lingua*. Sed adeo ignota nequit esse ista lingua, ut aliquis inveniri non possit, qui eam percipiat. Circa quod labori indulgendum non est, ut aliquis, qui linguam illam ita extraneam intelligat, reperiat, qui sit fidelis. In hoc casu puto, quod possit differri solemnitas Baptismi, donec, magno etiam dispendio, quis e longinqua regione avocetur. Ad summum in Urbe, et in Collegio Propagandae Fidei, habentur ex providentia summorum Pontificum Interpretes quarumcumque Nationum, et linguarum, quae sub Coelo sunt. Quod si pro magno incommodo haberetur accessus Interpretis ad locum, in quo degit Catechumenus, posset idem Catechumenus Romam petere, et ibi commode instrui, et baptizari. Quando vero, pro impossibili, non haberetur interpres, extremum remedium illud esset respondendi per nutus, in quo casu opus esset, ut Catechumenus quoque per nutus exprimeret voluntatem suam, se nempe velle baptizari, et cum fidelibus per Religionem uniri. Quod item servari deberet in mutis, et surdis; quibus in omnibus suppleret consensus Patrini explicitus, et fides Ecclesiae.

§ VIII. Pro hujus autem veneratione Sacramenti, tam Sacerdotem qui Adultos baptizabit, quam ipsos Adultos qui sani sunt, convenit esse jejunos.

53 Antiquitus Catechumeni, immediate ac baptizati fuerant. Sacratissimo Eucharistiae Sacramento refovebantur, ideoque necesse erat, ut essent jejuni. Similiter si Minister Baptismi inter Missarum solennia hoc Sacramentum ministrabat, opus erat, ut jejunos esset: ideoque censendum est Textum loqui de Baptismo Adultis ministrato in diebus praescriptis Paschatis, et Pentecostes. Quare D. Carolus *Actor. p. 4. Instruct. Bapt. de Baptismi Ministro loquens, ait: Jejunos, et mane ministrabit, nisi necessitas aliter postulet.* Verum generaliter hic loqui videtur ex D. Clemente *in Const. Apost. l. 7. c. 23.* ubi scripsit: *Ante Baptismum jejuset qui est baptizandus.* Ex quo apparet Jejunium servandum esse a baptizando, non a baptizante. Caeterum, Jejunium, ut docet Ecclesia, mentem elevat, virtutem largitur, et praemia.

54 Jejunium itaque servandum est ab iis, qui sani sunt:

quod sit auctus, dum pene omnes baptizantur Infantes. Qui vero Adulti baptizantur, ex alio gremio proveniunt, nempe seu ab infidelibus, seu ab Haereticis, aut aliis extra Catholicam Ecclesiam degentibus, qui sponte ad Christianam, Catholicamque Religionem accedere velint, et fidelium communioni aggregari.

§. I. Si quis Adultus sit baptizandus, debet prius secundum Apostolicam regulam in Christiana fide, ac sanctis moribus diligenter institui, et per aliquot dies, in operibus pietatis exerceri, ejusque voluntas, et propositum saepius explorari, et non nisi sciens, et volens, probeque instructus baptizari.

4 5 6 7 Adultus itaque dicitur ille, qui crevit ad juxta staturae suae altitudinem, Calep, *in verb. Adultus*; unde Juvenes dicuntur Adulti, quia in flore aetatis sunt positi. In nostro casu vero non tam late sumenda est haec significatio. Adultus hic ponitur ad distinctionem Infantium, ut singuli habeant ritum Baptismi sui, quia caeremoniae Adultorum, in multis, diversae sunt a caeremoniis Infantium. Catech. Rom. *de Bapt. §. Sed cum, etc.* Et ratio est, quia alia peccata purgari debent, satis a reatu originali distantia, unice ab Infantis contracto, et illis Christiana fides proponenda est, atque omni studio ad eam suscipiendam cohortandi, alliciendi, et invitandi sunt.

8 9 10 Ideoque Infantili aetate transacta succedit per nos aetas Adulta ab *Adoleo*, quod est *Augere*: quae aetas nuncupatur aetas discretionis, et intelligitur septennio expleto; *ut in c. 1. 30. q. 2. et in c. omnis utriusq. Inf. de Poenit. et remiss.* licet proprie dicatur post decimum, quartum annum in masculis, et duodecimum in foeminis; *Cap. cum. Virum. et cap. cum simus, Fagnan. in V. decr. de Cleric. per salt. c. 1. n. 14.*

11 12 Immediate igitur ac homo usu rationis gaudet, et capax est percipiendi, intelligendi, et respondendi, dicitur Adultus, et hic est, de quo intelligit noster Textus, ut docet *Monacell. suppl. ad T. 2. fort. 15. ad tit. 15. num. 258. 259. XI. XII.* ubi loquens de Hebraeorum filiis dicit, quod si eorum filii non sunt Infantes: sed majores septennio, et consensum praestent, possunt etiam invitis parentibus baptizari: et allegat *Sperell. dec. 1. num. 30. 31. 32.* ergo per totum annum septimum inclusive durat in homine infantia: et immediate eo completo initium habet adolescentia; et homo dicitur Adultus, non vero amplius Infans.

13 14 Notandum hic pro explicatione hujus textus cum *Fulien. de Sacr. l. 1. Resol. 3.* Adultos teneri, ex jure divino, Baptismum suscipere quamprimum id commode fieri possit: Baptismus enim est exordium, et professio Christianae Religionis; et non potest Adultus diu sine Religione manere, et sine professione Religionis, ergo nec sine Baptismo: Nam sicuti quilibet Adultus tenetur credere in Christum statim ac fides Christi sufficienter illi proponitur, ita et talem fidem profiteri tenetur per signum externum ad hoc deputatum, quando commode usurpari potest: quia alioqui, et fidem, et ipsum fidei Authorem contemnere, vel erubescere censetur.

15 16 Sed ut ad Textum deveniamus. Apostoli, ut habemus in *Actis*, prius instruebant in fide baptizandum, postea baptizabant. Unde ex S. Hieronymo habemus: *Primum docent omnes gentes, deinde doctas intingunt aqua, l. 4. in Matth.* Ita Eunuchus Reginae Candacis instructus fuit a Philippo circa adventum, mortem, et Resurrectionem veri Messiae, et subito baptizatus fuit, *Act. 8.* nec desunt alia exempla in sacra Historia.

17 18 19 Hodie ista instructio est satis famosa, cum non fiat, ut dici solet, in confidentiam, sed per deputatos ministros, qui per spatium quadraginta dierum propagandum arbitrio Ordinarii in Domo probationis, quae vocatur domus Catechumenorum, vel apud aliquos pios, et bene moratos fideles, prout expediens quandoque Ordinario videtur, instruunt Infidelem in iis, quae ad suscipiendum Baptismum necessaria sunt, nempe in articulis, et mysteriis essentialibus fidei Christianae: Fatentur enim omnes DD. quod Catechismus convenienter debet praecedere Baptismum, *ex tex. in cap. ante bapt. de consecr. dist. 4.*

20 21 Quae domus Catechumenorum maxime necessaria est in quibuscumque Civitatibus, in quibus Hebraeorum conventus, seu *Ghetto* toleretur: saepe enim fit, ut aliquis a Christianorum bonis moribus invitatus ob frequentem familiaritatem, vel ob publicas solemnitates, ad amplexandam veram fidem moveatur cum tota familia; quod maximae utilitatis est Reipubl. Christianae: quamvis enim qui in aetate provecta convertuntur, non semper sincere id faciant: attamen Prolis, et Familiae numerus, maxime in infantili aetate, optimum fructum gignit.

22 23 Frequens exploratio maxime in foeminis habenda est, quae inconstantis naturae sunt, et quod mane petunt, vespere recusant: ideoque frequenter explorandae sunt, an in voluntate persistent suscipiendi Baptismum, nec solers Catechista ita facile credere debet, nec satiari in hac frequenti petitione, quia nonnulli casus dati sunt, in quibus mutatio maxima